



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 245. Cum autem sero esset venit quidam homo dives nomine Ioseph ab  
Arimathiæ quia & ipse discipulus erat Iesu. v. 57.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

rant, & statum sanctum calibatus inchoaverunt, inter alias istæ quinque speciatim nominantur, quarum major pars viduæ videntur fuisse, eæque notæ & probatæ vitæ, ut iuxta Apostoli Pauli doctrinam, ad statum Diaconissatum non nisi provectæ ætatis mulieres, quo ad prudentia dictat, eæque inculpatæ vitæ, admittantur. Etsi enim Maria Magdalena inter eas nota omnimodum non caruit, eam tamen heroice in domo Simonis & alias expunxit.

**V**tinam bone Jesu, nunquam Sacerdotes errent in delectu feminarum quas vel ad solitariam in claustro vitam, cum Maria, vel activam cum Martha admittent: utinam prudenter agant, cum iisdem & procedant in timore Dei, non sui commodi temporalis intuitu, ne vituperetur ministerium Dei, sed adjutorio earum honorificetur Ecclesia Christi, & ædificetur.

§. 245. *Cum autem sero esset venit quidam homo dives nomine Ioseph ab Arimathia quia & ipse discipulus erat Iesu. v. 57.*

Paulatim incipit se prodere efficacia mortis Christi, ecce enim Centurio, ecce milites confitentur, mulieres perseverant, accedit ad hos homo Dives, nobilis & Centurio, nuper timidus ad confitendum Christum, nunc audax & fortis: accedit ad Pilatum audacter pro mortuo, qui antea ne quidem domum Pilati invisere audebat pro vivo, & modo intrat, alloquitur Præsidem, petit corpus Iesu, insinuans aperte se esse amicum Iesu Christi, & eius discipulum, magni se facere, quem ille crucifixit &c.

**D**omine Iesu ista mutatio est de manu tua, non venit ex horto cordis humani talis flos, sed zizania. Veni ergo Domine Iesu, veni & operare etiam in nobis tam potenter ad suam gloriam, nostram salutem. Si negleximus mane venire ad te & cito, saltem serò advenire non pigeat. Tu Domine nos sero revertentes suscipe, & fac nobiscum signum in bono, ut videant qui oderunt nos & confundantur.

§. 246. *Hic accessit ad Pilatum.*

Accessit sane plenus fide & spe in Deo, quod sit futurus voti compos accessit & instinctu & motu Dei, ut peteret corpus Iesu, ne maneret in tanto Paschatis festo in patibulo crucis in ignominiam & ludibrium, sed finito cursu redemptionis assequeretur promeritam gloriam. Libere accessit, quia vir erat in dignitate constitutus, dives & magnæ authoritatis, Senatorii ordinis & inter Principes: & forte à D. Virgine Maria Matre Iesu rogatus vel à Ioanne Apostolo, vel aliis Christi discipulis fuerit sollicitatus, ut pro dignitate sua, & reverentia Corporis Christi accederet ad Pilatum, & peteret corpus Crucifixum Iesu: facilius enim ipse poterat obtinere uti

X 3

Principis